



XV, 80.



De Melanckone

Ern. Regii oratio

Chr. Schellenbergi epicedion

Ad. Siberi carmen.

Chr. Schellenberg alumnus fuit
off. ab a. 1543. coll. Schol. Pfl.
ad Moldan corrector.

121



PHILIPPI
MELANTHONIS
EPICEDION

SENATVI ANNEBERGENSI
DEDICATVM.

Authore

Christophoro Schellenbergio
Annebergensi.

2.
obit 15
20 Jan



In tumulum eiusdem, carmen
ADAMI SIBERI.

domino Georagio fabricio.

CLARISSI

MISERERE

DEUS

ANNO

1600

1600

1600

DIS.

Qua super excedis Munda cano fente Philippi
 Tam bene promerito non sine laude vix
 Si magna vacuis curis, mea scripta legendi
 Dat vobis parvas curis vestrae moras;
 Accipite insigni proceres virtute, gratia
 Consilio, o parvae lumina clara meae.
 Desco, tota tibi quem fieri Germaniam sapientia
 Cuius non laquet finere nemo bonus.
 Sic meritis dignis lacrymis & laude honorum;
 Sic bonus, ut qui bonus sic erat ipse bono;
 Quem vobis Phodum, que Pallas Hecuba velle
 Si hinc Pallas, Minus dedit Apollo caris.
 Cantantur istis Herculeosq; labores
 Ictus alas, I riptolemiq; toros
 Noster Mungere iustas dicitur illas
 Atq; Maonao dignior togae
 Vbetiora hic dedit enolumenta laboris
 Vix & Hercules pectoris ante animas

CLARISSIS-
SIS, PRUDENTIS-
SIS, ET AMPLISSIS
VIRIS, REIP. ANNEBER-
GENSIS GVBERNATO-
RIBVS, DOMINIS
SVIS COLEN-
DIS.

Q Væ super exequijs Musa cano flente Philippi,
Tam bene promeriti non sine laude viri,
Si magna vacuis cura, mea scripta legendi
Dat vobis paruas curia vestra moras:
Accipite insigni proceres virtute, grauiq;
Consilio, ô patriæ lumina clara meæ.
Defleo, tota sibi quem flet Germania raptum,
Cuius non luget funere nemo bonus.
Sic meruit, dignus lacrymis & laude bonorum:
Sic bonus, atq; bonis sic erat ipse bono:
Quem Musæ Phœbum, quæ Paulum Ecclesia vellet,
Si huic Paulus, Musis deesset Apollo pater.
Cantarunt alij res Herculeosq; labores,
Icarias alas, Triptolemiq; rotas:
Noster Musagetes hic fama dignior illa,
Atq; Maronæo dignior elogio,
Vberiora suo dedit emolumenta labore,
Vicit & Herculeas pectoris arte manus:

A 2

Nec

uic
Nec curru terras, nec transijt aëra pennis :
 Ingenio est orbem mensus vtrunq; suo.
Nunc voueo ~~hic~~ lacrymas, desideriumq; perenne,
 Atq; pia dotes prædico laude viri :
Dignor honore suo tumulum, bona fata precatus.
 Hæc summa, & causa est carminis æqua mei.
Hoc vobis, meriti memor, & natalis amore
 Telluris, vester dedico ciuis ego.
Cur ita? communem quod vobis credo dolorem
 Nobiscum, amissi fata dedisse viri,
Qui cunctis huius ceu profuit vrbibus oræ :
 Sic vestris aliquid ciuibus ipse dedit,
Sum quos inter ego. Sunt & monumenta Philippi,
 Quæ gratus vestra ciuis in vrbe legit.
Ergo celebre, cui multum debere fatemur,
 Sit tanti patria nomen in vrbe viri.
Vestra Philippææ faueant suffragia famæ :
 Atq; æqua studium mente probate meum.
Quodq; vltro facitis, colite, & defendite Musas.
 Hæc vobis omni gloria maior erit.

Vester ciuis

Christophorus Schellenbergius.



EPICEDIVM.

ECquando lacrymis luctuq; carebimus omni?
Hæc nunquã mne nihil uita doloris habet?
Aerumnæ comes est ærumna, angoribus angor,
Et mala succedunt continuata malis.
Casum urget casus, tumido seu fluctus in amne
Urgetur fluctu posteriore prior.
Hinc est, quòd semper querimur, præbentq; subinde
Materiam flendi tempora nostra nouam.
Quas homines patimur, clades casusq; tot inter,
Deflemus madidis hæc quoq; damna genis,
Egregijs cultas uiduari ciuibus urbes,
Morte salutare eripiente uiros,
Per quos relligio salua est, & templa reguntur,
Contingitq; bonis artibus æquus honor.
Vt sine cultura species inamœna fit horti,
Et premit informis pulchra uireta situs:
Sic rudis & deformis erit, nisi nostra colatur
Vita peritorum dexteritate uirum.
Altior utq; alijs, pomisq; feracior arbor
Si cædatur, habet iam minus hortus opum,
Et reliquæ stirpes precij leuioris habentur,
Quæ non sunt illis fertilitate pares:
Sic summum mors falce uirum cum demetit, usus
Cuius erat magnus, qui decus orbis erat:
Vita bonum amittit nunquam reparabile, rerum
Et noua forma, ferè deteriorq; uenit.
Barbaries inculta subit, moresq; pudendos
Inuehit, & secum plurima monstra trahit.

Sæpius Heroum portendunt funera cladem,
Cumq; uiris magnis optima quæq; ruunt.
Optima pax rerum fuerat superante Luthero,
Qui poterat precibus bella fugare suis:
Vix tumultatus erat, moto Bellona tumultu,
Teutonicam multo sanguine sparsit humum.
Et tanquam uiui timuisset fulmina uatis,
Ad bellum reges hoc moriente uocat.
Protinus audendi damnosa licentia quiduis,
Miscuit abiecto sacra prophana Deo.
Heu quæ tunc terras infecit Lerna malorum,
Armaq; qua nostrum ui petiere caput?
Sic quæ nunc terrent nostras præfagia mentes,
Quam metuo, euentu sint caritura suo.
Quæ nunc extincti deflemus fata PHILIPPI,
Anne secuturae nuncia cladis erunt?
Fortè (sed ô falsum mens auguret) improba rursus
Secla furent, tanti funere læta uiri.
Parce Deus clemens, & quidquid triste timemus,
Da uentis, nostrum suppliciumq; leua.
Supplicij satis est, doctorem amittere tantum:
Huic damno cumulum ne mala plura ferant.
At nos iure damus lacrymas, terrore futuri
Siue mali, amissi siue dolore boni.
Deposita lauro feralem sume cupressum,
Mœsta coronatas solue Thalia comas.
Læta chelys sileat, flenti cape barbiton aptam,
Daq; Philippeas munus in exequias.
Plangite, Pieriæ potat quos riuulus undæ,
Flebilibus resonent templa scholaq; modis.

Ille

Ille iacet uestri regni pars prima Melanthon,
Ille iacet, per quem gloria uestra stetit.
Leucoris imprimis CHRISTO gratissima sedes,
Et Musis, doleas orba parente tuo.
Cuius enim patris in natos benefacta tot extant,
Quot patrio affectu contulit ille tibi?
Leucoris ô felix, ô clara Melanthane, quantum
Nominis amittis, quantaq; damna facis?
Dum tecum fama notus super astra Lutherus,
Altera dum tecum fama Philippus erat:
Magna tui cepit totum admiratio mundum,
Nil te nobilius splendidiusq; fuit,
Splendida non auro, sed eras potioribus auro
Artibus, & magnis nobilitata uiris.
Qui latus omne suo complerunt nomine mundi,
Ingenio coelum qui tetigere suo.
Qui tua Pierios traxere ad moenia cœtus.
Hinc urbs plena, frequens & schola semper
Istuc Thirigetes, istuc Hermundurum iuit, (erat.
Venit ad Albiacas Francus & Hessus aquas.
Noricus has sitiit, potarunt inde Boëmi,
Et Musæ Sueuos clicuere tuæ.
Præposuere suo tua flumina Pannonæ Istro,
Ad te longinquum Dalmata fecit iter.
Ingenijs stupuere tuis Graij atq; Latini,
Eridanus iuuenes, & tibi misit Arar.
Hinc Celtae, hinc Belgæ, teq; accessere Sicambri,
Te subiit celeri Sarmata uectus equo.
Quin & diuisi penitus toto orbe Britanni,
Diuisiq; simul te petiere Scoti.

Sic est, per terras, per aquas, perq; aspera saxa,
E cunctis ad te partibus orbis itum.
Tantus amor uultus coram spectare Philippi,
Tanta fuit uiua uoce cupido frui.
Fallor, an externæ gentes, & barbara corda
Funere Brettiaci condoluere senis?
At tibi, cuius erat proprius, Germania nullas
Eliciat lacrymas mortuus ille tuus?
Nempe suum mater non defleat anxia natum,
Qui decus, & matri gaudia plena tulit?
At licet in fletum totus uertatur Elister,
Et Sala, & Muldæ flebile flumen eat,
Et rex Teutonico flumiorum Rhenus in orbe,
Et lacrymante fluat mæstior Albis aqua:
Flumina nemo tamen lacrymarum tanta profundet,
Quin has exuperans deuoret ipse dolor.
Diuinum ingenti flesti plangore Lutherum,
Flendus hic est luctu non leuiore tibi,
Qui comes optatus fuit, & collega Lutheri.
Par ipsis summi cura laboris erat.
Gessit hic in regno Christi ardua, gessit & ille:
Quantum illi, tantum patria debet huic.
Morte extincta tuæ luge duo lumina terræ,
Hi tibi erant, cælo Lunaq; Solq; quod est.
Tu quoq; nunc grauiore doles Ecclesia luctu,
Quò fuit utilior rebus uterq; tuis.
Captata tenebaris Stygijs immersa tenebris,
Legitimo cultu non uenerata Deum:
Et surdas statuas, & muta idola colebas,
Papa tibi cordi numinis instar erat.

Ecce

Ecce tibi coeli demissus ab arce Lutherus,
Discussit tenebras restituitq; diem,
Claram Euangelij posses ut cernere lucem,
Et rectum aeternae scire salutis iter.
Ille ubi te coepit saluanti adducere CHRISTO:
Hic, ait, hic uita est fons, hominumq; salus,
Quid tibi cum Papa? non hoc duce sidera tanges,
Credientem saluat gratia sola DEI. 22
Sic Latij turpes exosa Baalis amores,
Es per eum Christo reddita sponsa tuo.
Et toties pro te fortis tulit arma Lutherus,
Bella tibi quoties intulit hostis atrox.
Templaq; purgauit, Latia quae sorde scatebant,
Augia stabulum sicut olente fimo.
Tantum consors operum, sociusq; laborum,
Martino ex omni parte Philippus erat.
At postquam currus tuus atq; auriga Lutherus,
Terrarum excessit uectus in astra plagis:
Praesidium reliquum, et tua spes fuit una Philippus,
Nec successor eo dignior alter erat.
Curarum totam tulit hic molemq; laborum,
Vnius inq; humeris omne resedit onus.
Ipse tuus rector, tuus ipse Ecclesia doctor,
Consultusq; sagax, excubitorq; uigil.
Nemo tuam melius caussam et feliciter egit,
Obuius usq; tuis hostibus hostis ijt.
Cum quibus assiduo subiens certamina, uicit
Ingenij inuictis uiribus, ore, stilo.
Saepe per hunc dubios superasti Ecclesia casus,
Victriciq; per hunc est tibi palma data.

Hinc rabie exarsit Satanas, iraq; potentes,
Concepitq; odium turba prophana suum,
Contra te sua nil Ecclesia tela ualere,
Nec se patrono posse nocere tuo,
Numine qui fretus sibi nil hostile timeret,
Fortis ad inuidiam, tutus ab insidijs.
Irrita desperans tela ergo recondidit hostis,
Instygiaq; suo cum grege frendet aqua.
Hoc tibi praecepto, quae spes Ecclesia restat?
Quis pro te, quanta hic, praelia tanta geret?
Miles ut in belli casus animosior omnes,
Quando ducem saluum conspicit, arma capit:
Dux simul occubuit, bellum iacet, excutit arma
Militibus trepidis luctus & ipse timor:
Tunc animos hostis sibi sumit, & acrius urget,
Et palmam sperans omnia tela mouet:
Intrepidè sic sacra cohors, ductore Philippo,
Suscepit pugnas, sustinuitq; graues.
Ille ubi deseruit terras statione peracta,
Ipsa minus fidit iam sibi, plusq; timet.
Iam nunc diuini contra pia dogmata uerbi
Tartareus totis uiribus hostis aget.
Rursus aget caecum demens uesania mundum,
Sueta pios miseris exagitare modis.
Vix etiam tanto cessabit cardine rerum
Flexiloqui pugnans arte Sophista doli.
Qui tibi quot posuit laqueos Ecclesia dudum,
Eheu quot clades intulit ille tibi?
Cui si quis metuendus erat post fata Lutheri,
Seu nullus, solus siue Philippus erat.

Vt metus hic abiit, sua iam mendacia sparget,
Atq; artes repetet turba maligna suas,
Quæ regnum, & Christi carpēs saluantis honorem,
Doctrinam oppugnat fraude potente sacram.
Iam magis audebit quiduis fanaticus error,
Parturietq; aliquid non pia secta noui.
Et fallax tumidas inflabit opinio mentes,
Vt plenus uacuum spiritus implet utrem.
Cui comitem iungens audax inscitia sese,
Tollet præ reliquis ambitiosa caput,
Et sibi met nimium blandita, uidebitur esse
Nonnihil, & fieri, quod fuit ille, uolet.
Ille erat ingenij uis haud imitabilis ulli,
Nec tribuit multis munera tanta Deus.
At spes uana tui nimium te ludet amantem,
Qui cupies tanti crescere morte uiri.
Et nimium sapiens, alijs nihil, omnia soli
Esse tibi finges, & nimis alta petes.
Ipse dedit nobis imitanda exempla Philippus,
Plus alijs tribuens, & minus ipse sibi.
Qui pro te quoties Ecclesia dixit, & egit,
Iudicium semper maluit esse tuum.
Si quando incideret dubijs sententia discors
Iudicijs, sacra iudice lege stetit.
Dentatis nunquam chartis concurrere, uerbo
Sed certare Dei, & uincere doctus erat.
Sic ubi sectarum tibi fraus imponere uellet,
Admonuit, structis eripuitq; dolis.
Hoc duce sæpe tui uerterunt terga rebelles,
Hoc duce prostratus sæpe Sophista fuit.

vsque

Vsque adeo semper pictæ tectoria lingue,
Peius & ambiguos oderat angue dolos,
Quos poterat citius sentire, & soluere nemo:
Vsus, & hoc ipsi temporis acta dabant.
Sustulit ergo uirum tibi mors Ecclesia talem,
Quo fuerat uictrix uindice caussa tua.
Orba tuam miserare uicem, raptoq; patrono
Angere, uix deinceps par habitura decus.
Turba suas etiam lacrymas Heliconia iungat,
Pieria amisso præside militiæ.
Pars ego cuius eram, duce quando Melanthonè
Leucoris in castris milito tyro tuis. (quondam
Ille etiam fecit me linquere Salidas undas,
Ille meis studijs calcar & ardor erat.
Nunc meus est idem luctus, cumq; agmine fontis
Pierij reliquo tempore tristis ago.
Publica priuatas augent lamenta querelas,
Et mea cum multis publica damna queror.
Flere libet potius, tenues quam dicere laudes.
Quæ minor est rebus laus, ea grata minus.
Cœpta tamen peragam, laudemq; in numinis edam
Dona uiri: donum namq; dat omne D E V S.
Ingenij magnæ uires in corpore paruo,
Et mirum argutæ mentis acumen erat.
Quo scrutandarum penetravit in abdita rerum,
Musarumq; adytis eruit omne sacris.
Ingenij exemplar, quo non exactius ullum,
Certatim Aonides absoluere uiro.
Iam solida numeros doctrinæ impleuerat omnes,
Omnibus & reliquis doctior unus erat:

TUM

Tum studij Princeps subsellia prima tenere
Doctorum in coetu dignus ad Albis aquas,
Addidit obscuris interpretes lumina scriptis,
Exponens Latij Attica uerba sonis.
Intima subtili rimatus acumine sensa
Autorum, rebus consona uerba dabat.
Fluminis ut fundo prædam qui captat in imo,
Non tantum summis retia ducit aquis:
Sic ille excutiens sensus abstrusa profundi,
Non obiter tantum summa, et aperta sequens,
Differuit: uerbis decus, et sua pondera rebus
Addens, in medium nil populare tulit.
Talia tunc primò iuuenem præludia dantem
Excepere, nouem qui coluere Deas.
Protinus aduolitant iuuenesq;, uiriq;, stupensq;
Facundo auditor pendet ab ore uiri.
Diuitis ingenij tot opes, ea copia rerum,
Tanta Philippææ gratia uocis erat.
Ut uerò Christi profiteri oracla, laboris
Et cœpit consors esse Luthere tui:
Quis melius de lege Dei, de dogmate Christi,
Aspirante sacro flamine, uerba facit?
Vberius quis sacra canit, templisq; sacratos
Eloquio exornat dexteriore libros?
Perspicuæ doctrinæ, atq; optimus ordinis autor,
Ducebat facili corda docenda uia.
Hoc illi proprium decus, hac in parte Philippum,
Quamlibet inuideat cætera, liuor amat.
Hinc illi semper discentum plena theatra,
Ingentem cœtum non capiente domo.

Pars

Pars astat, pars scamna premit, pars limina complet
Arctè, & habet uacuum nulla fenestra locum.
Hic nullum arrectas dictum præteruolat aures,
Voxq; cadens pleno pondere nulla perit.
Vidi ego, qui raptim coram dictante Philippo
Exciperent calamis singula uerba citis.
Dumq; libros atris humoribus exarat albos,
Tale super chartas stridula penna sonat,
Quale comosa arbor tenui cum stringitur aura,
Quale strepit pluuia scandula tacta leui.
Audiit hunc doctor, cum discipuloq; magister,
Cumq; uiris iuuenes, cum puerisq; senes.
Omnibus aptus erat, nulli sua dona negabat.
Possset ab hoc qui nil discere, nemo fuit.
Nollet ab hoc si quis didicisse, uel arcuit illum
Obliquus liuor, cæcus amorue sui.
At mihi plaudo, mihi grator, mihi gaudeo, uidi
Quòd uultus oculis hisce Melanthonios,
Frontem altam augusti capitis, canosq; uerendos,
Oraq; uox fluxit dulcior unde fauis.
Quodq; uiri uoces hausi, & de fonte sacrato
Israël, ipso pocula dante, bibi.
O mihi perpetuo tam puri flumina fontis
Contingant, alios nil ego curo lacus.
Nec minus absentes scriptis, quam uoce docebat
Præsentes, studij publicus ille parens.
Ecqua caret schola nunc, aut ecquod in orbe Ly=
Ecqua Philippæis Bibliotheca libris? (cæum,
Quos ego quam numerem, citius numerare ualerem.
Quam sit in alterutro littera multa libro,

Quo=

Quorum nunc meminisse libet. Fuit alter in urbe
Redditus Augusta Carole Quinte tibi,
Saxoniae à Ducibus sanctis, constantibus, ausis
Pro CHRISTI quiduis religione pati.
Hac forma, hoc sensu, his uerbis tunc Casare coram
Est confessa suam concio sancta fidem.
Ipse locus libro nomen dedit, ipse Philippus
Tam sacrosanctum condidit autor opus.
Quisquis es ergo, ipsi qui fers suffragia scripto,
Atq; ab eo tua non est aliena fides:
Quod scripsit fassusq; fuit, quod credidit ille,
Pectore credis idem, uoce fateris idem.
Alter & ex numero uel præstantissimus omni,
Quanam laude liber commemorandus erit?
Ille docet, quæ uera sacri sententia uerbi,
Quis Deus, atq; Deo qui tribuendus honor.
Quid ualeant leges Mosis, quid gratia Christi,
Diuinæ & summas explicat historie.
Doctrinæq; sacre totum exhibet ordine pulchro
Corpus, & in certos membra redacta locos.
Hi nomen fecere libro: quem, Biblia præter,
Ponere non dubites omnibus ante libris.
Qui studium coeleste colis, quod discere quæris,
Hinc è communi ceu tibi prome penu.
Dum genus humanum terreno uiuet in orbe,
Et dum Christiadum turba superstes erit:
Hoc monumentum amplum, solidoq; perennius ære,
Non tempus, liuor non abolebit iners.
At nihili cum censor ego: censura Lutheri
Iudicat inuictum religionis opus,

Atq;

Atq; immortalis non tantum nomine dignum,
Sed sacri Canonis quod queat esse uice,
Ex quo formari, qui templo praesit, abunde
Possit, ut eloquio sacra potente sonet:
Quodq; opus artificem testetur: quamlibet ergo
Cum squamis satanas frendeat acre suis.
Digne liber, cui tanta dedit praeconia uates,
Pumicibus radi digne, linende cedro,
Digne liber thecis Musarum, adytisq; locari
Omnibus, arrides iam mihi grate liber,
Inscribende animo memori, uersande diurna
Nocturnaq; manu, semper habende sinu.
Ante quis Alcidae clauam, fulmenq; Tenanti
Extortum eripiet, quam tua scripta mihi.
Illa pij relegant, & me sacer illa legentem
Spiritus accendat, me doceatq; rudem.
Care liber tinea parcant tibi, liuidus & dens,
Nec face, nec percas laesus inerte situ.
Nec minus aeternum reliquorum turba librorum
Duret, Brettiaci pectore nata senis.
Hos quid ego referam? legit, legit, & leget aetas
Quos prior, & praesens, posteriorq; libros.
Nemo fide docuit docilem maiore iuuentam,
Magna fuit parui cura laborq; uiri.
Paruula sic magnos tolerat formica labores,
Sic magno studio parua laborat apis.
Dum sic Leucoreum fert turbae Heliconis ad Albim
Auxilium lustris amplius octo suum:
Plus docet, & scribit plus, & plus omnibus unus
Sudat, in hoc superans Amphitryoniaden,

Et

Et uincens animo iuuenes & corpore firmos :
Quorum si quisquam pondera tanta ferat,
Aut ultro abiciat piger, & sua coepta relinquat,
Aut aeger medium concidat inter onus.
Ipse graui cui uix tegetet cutis ossa sub aevo,
Tardaq; cui faceret membra senilis hyems,
Non unquam solitum doctrinae munus omisit,
Non cura assuetae grande remisit opus.
Cum tamen emeritae sua praemia danda senectae,
Atq; ea donari iam rude digna foret.
Tunc quoq; cum febris graciles affligeret artus,
Vix potuit cogi, parceret ipse sibi.
Plurimus omnigenas accesserat usus ad artes,
Iudicioq; aderant pondera plena graui.
Hinc urbes totae de religione sacrisq;
Et totae gentes consulere uirum.
Et quid non habuit, quid non potuitq; fuitq; ?
Maximus in magnis, optimus inq; bonis.
Ponenda hic dubij certaminis alea non est,
Non est huic par hoc tempore, nullus erit.
Tempora degenerant, & cum uirtute Camoena
Rarescunt, docti deficiuntq; uiri.
Ultima nunc aetas agitur, tuaq; ultima fama,
Ultimaq; ingenij palma Philippe tua est.
Musa igitur repetens secum, geminansq; querelas,
Tot decora unius morte perire uiri :
Exanimata ferè, solitiq; oblita laboris,
Eiulat, & si fas, uellet & ipsa mori.
Nos quoq; nostra mouent damna, atq; dolemus ad=
Frugiferum ingenij fertilitate uirum. (emptum

B

At

At non frugi homines superant, & noxia bruta:
 His citius moritur cur homo fruge bona?
 Vere nouo rursus uiret herba, repullulat arbor,
 Brumaliq; redit mortua mense seges:
 Est quoq; quæ reparet, seseq; resemet ales,
 Cui proprius reddit membra renata cinis:
 Et cutis induitur noua, cum uetus anguibus atris
 Ponitur, hyberno squalida facta situ:
 Cur homo in hac uita non est reparabilis unquam,
 Præteritosq; licet non iterare dies?
 Abriperet potius mors uulgus inutile, quiq;
 Sunt numeri tantum, turbaq; nata cibo:
 Quam quorum ingenium uirtusq; erat utilis orbi,
 Qualis erat, quem nunc flemus obisse diem,
 Dignus siue mori non unquam, siue renasci,
 Aut æquare senis tempora Mathusale.
 Qui datus humano generi diuinitus, orbi
 Contulit ingenij dona stupenda sui.
 Sed tamen ingenium mirari, atq; ipsius artes
 Desino, uirtutes cum subiere mihi.
 Nam uirtuti artes, argentum cedit ut auro:
 Esse decet doctum, sed magis esse bonum.
 Noster in hoc illoq; tulit punctum omne Melanthon
 Artibus utq; fuit, sic pietate prior.
 Tu scis, qui latebras animi Deus excutis imas,
 Fallere relligio quem simulata nequit,
 Quam tibi se dederit totum, quam totus amarit
 Esse tuus, laudis letus honore tuæ,
 Affixus tibi perpetuis precibusq; fideq;
 CHRISTE redemptori Pontificiq; suo.

Gran

Grande nefas, dignumq; tua qui credidit ira,
 Humani quidquam pluris habere DEO.
 Pro grege sollicitus sacro, fuit ille, fuere
 Quod populo Amramides Isaidesq; tuo.
 Ad te qui quoties orantia brachia tendunt,
 Tu toties populo fers miseratus opem.
 Et quoties, & quot gemitus lacrymasq; profudit
 Hic quoq; pro populi CHRISTE salute tui?
 Hanc equidem ipsius, fontis uelut antè Lutheri,
 Defensam precibus saepe fuisse reor.
 Saepe Deus totas gentes conseruat, & urbes,
 Vnius inductus uoce rogante uiri.
 Quæ non scribendi, uel quæ non ille docendi,
 Orandi studio tempora cuncta dabat.
 Quasq; preces dixit, cunctos quoq; dicere iussit,
 Et uox, cum legeret, plurima Christus erat.
 Quò magis ille pius, magis hoc Dis oderat ipsum,
 Ditis & in mundo turba ministra sui.
 Quæ quoties placidum tulit infestare Philippum,
 Et premere inuidia, crimine, fraude, minis,
 Quæ stygij sunt arma gregis: non ille uicissim
 Talia sacrilegis obuius arma tulit.
 Illius arma, animus patiens, taciturnaq; lingua,
 Et posita in Christum spe comitata fides.
 Numinis auxilium sperans, à numine doctus
 Multa obliuisci, dissimulare, pati.
 Saepe lacesitus, conatus risit inanes:
 Saepe preces, diras hoste canente, dedit.
 Scilicet his telis mundum cum demone uicit,
 Et secum palmam uictor in astra tulit,

Hic ubi flore capit non marcescente coronam,
 Præq; alijs, Titan inter ut astra, micat.
 Sic tutore Deo, Daniel uelut ora Leonum,
 Effugit uitæ cuncta pericla suæ.
 At partim dedit, & partim dabit improba pœnas
 Turba, animo leni semper abusa uiri,
 Turba oris duri, linguaq; procacis, & ausa
 Impia in innocui stringere tela caput,
 Omnia qui solitus ferre, at dare uulnera nulli,
 Nec ui, nec cuiquam fraude timendus erat.
 Hostibus immeritis placabilis, æquus iniquis,
 Insana exosus iurgia, pacis amans.
 Ingenium simplex, mens candida, libera lingua,
 Assueta ex imo pectore uerba loqui.
 In uerbisq; lepos, in comi gratia uultu,
 Et graue in augusta fronte supercilium.
 Non fastu tumidus dotes ob pectoris amplas,
 Non propria extollens, non aliena premens.
 Et quotus in uicijs non est uigil Argus amici,
 In proprijs uerò non sibi Tiresias?
 At non Suffenus fuerat, nec Meuius ille:
 Nec culpa alterius, quam sua nota magis.
 Non carpsit, fraterno oculo tantilla lateret
 Quòd festuca, suæ conscius ipse trabis.
 Seq; suo mensus modulo ac pede, semet in ipsum
 Descendens, cuiuis arbiter æquus erat.
 In uarios sese uertentem Protea uultus
 Oderat, & linguam Mome proterue tuam.
 Non huc, non illuc impulsus, arundinis instar,
 Actæue quæ forti nutat arista Noto.

Auri=

Auribus haud solitus regum seruire potentum :
 Exosus mores Gnatho Thrasoq; tuos.
 Non unquam uulgi popularem mobilis auram,
 Officio captans non aliena suo . (rum :
 Magnanimus contemptor opum, contemptor hono
 Sortis & in quouis mens moderata statu.
 Alloquio facilis, responso promptus : amicis
 Fidus, & hospitibus pauperibusq; bonus.
 At semper scelerum praebens se, & criminis hostem,
 Censorem uitae degenerisq; grauem,
 Turpiter acta premens, monitis hortatus amicis,
 Quae sunt uirtutis, praecipiebat agi.
 Illo Pythagoras, illo Zenoue, Platoue,
 Discenda in medium non meliora dedit.
 Non grauior morum Censor Cato, erasq; magister
 Non melior turbae Quintiliane uagae.
 Inuisa non ui, sed maiestate uerenda
 Absterrens foedis pectora flagitijs,
 Fecit, ut annueret monitis, pareret & ultro
 Effera mansueto saepe iuuenta seni.
 Singula perfecti sed dicere dona magistri,
 Cunctaq; uirtutum nomina, longa mora est,
 Viribus & nostris impar onus : illa relinquo
 Heroo uobis commemoranda pede,
 Grandia qui medio praebetis carbasa ponto :
 Se mea uix audet credere cymba uado.
 Ipsa quidem uirtus, & culti pectoris artes,
 Nescit & ingenij uiuida fama mori :
 Sed nihil illa ualent contra fatalia mortis
 Iura : nec aeternum membra caduca uigent.

Condita de terra debentur corpora terræ,
Progenita è cœlo, rursus in astra uolant,
Hæc sine morte manent: non immortalibus esse
Corporibus luteis occiduisq; licet,
Lege quibus paucos immota destinat annos,
Annumerans uitæ tempora cuiq; Deus.
Ergo ubi compleuit fato concessa Melanthon
Tempora, iam uitæ tactaq; meta fuit:
Ipse satur uitæ, fessusq; labore, malisq;
Fractus, confectus deniq; febre graui,
Haud tunc incusans uoce æquum numen iniqua,
Nec questus uitæ de breuitate suæ,
Reddere, depositum uelut, hanc ultro optat, in usus
Nulli perpetuos, mancipiõue datam.
Nec sensit, pulsante fores tum morte, timorem.
Non metuit mortem, qui bene uixit homo.
Nec cupit ulterius uitam producere, tristem
Luctibus, exilio, cladibus, exitio,
Vndiq; uexatam, & quassam, muralis ut urbem,
Nunc hac, nunc illa machina parte quatit.
Nulla dies fulsit, qua summam funeris horam
Non meditarctur mortis amore citæ.
Hoc desiderium firmant præfagia mentis,
Omina quæq; sua non caruere fide.
Nam dum lugubres aliorum in morte querelas
Edit, in exequias dans sua scripta piæ:
Ipse sibi uates: Qui nunc funebria tracto,
Omne non dubio, mox ero funus, ait.
Tu quoq; Dux Pomerane cadis dum morte Philip=
Ornat & ille suo funera uestra stylo, (pe,
Ipse

Ipse sibi auspiciū mortis tulit inde, sibiq;
 Et fatum & nomen Principis, omen erat.
 Fortē aliquis nubes etiam dum suspicit altas,
 Cum uaga nocturnos Luna moueret equos,
 Leucorea supra caput urbis, lumine fixo
 Virgarum fasces tres uidet atq; duas.
 Ille pius coniector ad hæc: Pater ætheris alti
 Pœnam hoc uirgarum fasce minatur, ait.
 Virga patris pœna est, enses sunt pœna tyranni:
 Vos natos plectet uirga paterna Dei.
 Supplicium at nostris portenditur hostibus atrox,
 Hos diro uindex puniet ense Deus.
 Nocte quoq; ante Idus quæ proxima cecidit Aprileis,
 Septima supremam uenit & ante diem,
 Gratus ei dum somnus adest, sibi talia uisus
 Verba fuit plenis accinuisse sonis:
 Ingenti desiderio desidero, mortem
 Paschate uobiscum hoc uescier ante meam.
 Istud erat quondam modulatus more sacrorum
 Vocibus argutis carmen in æde puer.
 Ultima nox aderat, qua uox Paulina iacenti
 Obtigit in somnis, auspicioq; fuit:
 Si Deus est præsto nobis, nostramq; tuetur
 Caussam, qui contra nos agat, ecquus erit?
 Sed quid uisa loquor nocturna? diurnus ad aures
 Talia multorum rettulit antè palam:
 Malo Deo mandante mori, quam ducere uitam,
 Quam mundo, Christo uiuere malo meo.
 Tantum oro, læta mihi det decedere mente,
 A quo uno pendet uitaq; morsq; mea.

Nec crudelis erit mea mors : extinguar, oliuo
 Lychnus ut extingui deficiente solet.
 Si morior, bonitate Dei misero eximor æuo,
 Morte secuturum præueniente malum.
 Namq; hic nescio quid monstri dabit annus. At ætas
 Me posthac nunquam prodigiosa premet.
 Et dùm parturiunt hostes, ego lumina claudam,
 Ne uideam partus turba scelestas.
 Quas uerò, quo corde preces, in limine mortis
 Cùm foret, ad superum fuderit ille patrem,
 Cur repetam, famaq; loquar, uulgata, piorum
 Et cantata libris, notaq; teste Deo?
 Qui uota ipsius uitæ pro fine beatæ
 Audiit, et rapidis non dedit illa Notis.
 Quisquis es, æternæ qui speras gaudia uitæ,
 Tu quoq; sic ora iam moriture Deum.
 Sit procul anxietas, animum fortemq;, piumq;
 Exemplo sancti tu tibi sume uiri,
 Qui propria ingenuo fassus delicta dolore,
 Fidente ad CHRISTI pectore fugit opem.
 Hic ipsi intrepido, nullisq; angoribus ægro,
 Securo uitam ponere corde dedit.
 Qui cupidè moritur, mortem non sentit acerbum:
 Cui uenit inuito Parca, dolenda uenit.
 Tu queq; doctorum princeps Ioachime uirorum,
 O Camerariadum gloria prima domus,
 Quem, quæ communis tecum fuit antè Philippo,
 Ingenij solum postea fama manet:
 Cui uelut alter erat frater, tantumq; fauebat,
 Quantum Saule satus fauerat Isaidæ:

Dum

Dum pressum inuisis morbo, mortiq; propinquum,
 Hoc tibi supremo reddidit ore uale:
 Culte mihi Ioaehime, & me mihi carior ipso,
 Nunc coniuncti animis lustra per octo sumus.
 Verus amor, lucro non nos habet emptus auaro,
 Neuter amicitias utilitate colit.
 Consortes operum fuimus, ludiq; magistri
 Praefuimus studijs profuimusq; pijs.
 Utq; ope coniuncta pediti pedes astat in armis,
 Utq; equiti praesto est auxiliaris eques:
 Sic mihi in Aonijs aderas commulito castris,
 O mihi Thesæo pectore iuncte comes.
 Et memor officij, deserto haud ordine nostro,
 Fidus uterq; sua sub statione stetit.
 Iamq; mori si me iubeat diuina uoluntas,
 Non nego: post uitam hanc altera uita super.
 Tum uerò, tum turba Deo sociata, colemus
 Sanctius aeternæ foedus amicitiae.
 Dixit, proq; tua fecit pia uota salute,
 Euentus utinam uota habitura suos.
 Et tu pro caro ueneranda precatus amico
 Numina, das animo mutua uota pari.
 Et tibi uicturum promittis longius ipsum,
 Visurum speras rursus & incolumem.
 Tali spe repetens Camerari Lipsidos urbem,
 Ad tua non segni tecta recurris equo.
 At uisum est aliud, cuius sententia stabat
 Certa Dei, contra uotaq; spemq; tuam.
 Nam neq; uultum iterum uiui spectare Philippi,
 Nec tibi dulciloquo contigit ore frui.

Hunc Deus haud ultra uoluit tellure morari,
Tardauit reditum dum mora parua tuum.
Quid facias? pugnésne Deo, qui sustulit ipsum?
Esséne praesentem te uoluisse reat?
Ut coram aspiceres uultum morientis amici,
Atq; animam exciperes illius ore tuo,
Quem functum uita, iam compositumq; feretro
Aspicere haud oculi sustinuere tui.
Ergo quantus amor uiuo te iunxerat illi,
Tantus nobiscum te quoq; moeror habet.
Sed modus ecquis erit luctus? Si patris amorem,
Nostraq; si specto tempora, nullus erit.
Noster amor facit, ut nobis sit flendus in aeuum:
Et tali est aetas indiga nostra uiro.
Sic reputo summi mentem & decreta Parentis,
Ad cuius nutum uiuimus & morimur:
Quiq; animam terris subduxit in astra Philippi,
Viuat ut angelicis associata choris:
Fas hominem parere Deo, atq; agnoscere fatum,
Et nostris aliquem luctibus esse modum.
Illum autor rerum Dominus dedit, abstulit idem:
Arbitrio maneat laus in utroq; Deum.
Quem nimis pietas uetat incusare querelis,
Quem dolor offendit, si pietate caret.
Ne ledas igitur plus aequo numina luctu,
Desine funereos flens Elegeia modos.
Parce superuacuos deinceps dare Nenia questus,
Parta nec inuideas manibus astra pijs.
Hos potius tristi defunctos carmine desle,
Quos caelo exclusos horrifera Orcus habet.

Noster

Noster hic ereptus miseranda e turbine uita,
Gaudia siderea sede receptus agit.
Cui sordet mundus, quid enim est, nisi carcer, hic orbis?
Quid nos? bulla leuis. Vita quid? umbra breuis.
Nec tamen, umbra uelut, sic euanesCIMUS ipsi,
Non erimus, ueluti mortua bruta, nihil.
Est corpus, quod membra olim rediuiua sepulchro
Efferet: est animus nescius ipse mori.
Non hic interitum, mortem non horreat illud:
Hic manet aeternum, quod fuit, illud erit.
Quantulacumq; tamen fuerat concessa Philippo,
Quae uita est hominum, non breuis illa fuit.
Nam fessae post acta nouem septennia uita,
Septenos nouies insuper adde dies,
Exhalans animam tibi Christe remisit in astra:
Terrigena at Tellus reddidit ossa tibi,
Hic ubi Leucorea magnum tegis arce Lutherum.
Iamq; foues uno corpora bina sinu.
Quam bene uicino ponunt sua membra sepulchro,
Quos concors studium iunxit, & unus amor.
Sic quoq; Mecenas tibi Horatius, Ennius ipse
Sic tibi contiguus Scipio magne iacet.
Stannea compositum tumulo tegit urna cadauer,
O dignum auratae tegmine sandapila.
Vos quibus est cordi pietas, & creditur, olim
Qui terra tectos suscitet, esse Deum:
(Namq; sepulchra huius uita testantia finem,
Sunt uita testes non minus alterius)
Quiq; suum bustis deberi scitis honorem,
Nec uestris tumulis uultis abesse decus:

Huc

Huc agite, atq; pijs tumulum decorate Philippi
Cultibus, & dignis sculpite saxa notis.
Quale Lutherano pia turba dedere sepulchro,
Sit tumuli carmen tale Melanthonij:
Vel potius sit carmen idem, ceu continet idem
Ossa locus, ceu mens una duobus erat.
Tum positis placidam membris optate quietem,
Et sit pax animæ, dicite, uera pia.
Omnibus hic esto tumulus sacer: ite prophani,
Nec calcate graui sacra sepulchra pede.
Humanæ memores sortis, mortisq; salutem
Manibus æternam dicite uoce pia.
Vos ille in tenebris, lacrymarum & ualle relinquēs,
Læticia cæli luceq; perfruitur.
Tu quoq; defuncto iam parce, nec amplius ipsos
In tumulos odijs improbe tende tuis,
Sin pergis, quid agis? laruis luctaris, & umbris,
Et fatum rides ludificante probro.
Qui fatum rides, & gaudes morte bonorum,
Interitu uulgus gaudeat omne tuo.
Quin generosam imitare cedrum, quæ mortua ser=
Corpora, corrumpit uiuida, datq; neci. (uat
Ne ferias mutum latratu marmor inani,
Ut iactos lapides dente Lycisca petit.
Sed quam fata illi bona concessere quietem,
Turbare, & tumulos ledere parce pios.
Sic tibi felici detur decedere fato,
Sic tua non dura membra tegantur humo.
Quamq; aliorum optas membris tellure locatis,
Contingat requies ossibus ista tuis.

Annuit

Annuit, & se æquum promittit iniquior antè,
Condonatq; ultro, si qua querela fuit. (quus,
Iamq; Philippe bene accipient te & iniquus, & æ=
Desinet ille malus, perget hic esse bonus.
Care pater, uenerande senex, auguste piorum
Doctor Christiadam, Pierijq; chori,
Post tua fata tibi duplices reddentur honores,
Magnus eras uiuus, maior humatus eris.
Te Notus, & Boreas, Zephyrus memorabit, et Eu=
Donec cum socijs flatibus Eurus erit. (rus,
Posteritas te grata canet nostro æquior æuo,
Posteritate tuus uindice stabit honor.
Maecte uir, implesti qui donis pectoris orbem
Tot tantisq;, quot & quanta referre nequit:
Iam sat habent a te mortales, iam tibi, iam sat
Vixisti mundo, postmodo uiue D E O.
Maecte iterum atque iterum tua nunc cape præmia, *dante*
Rege poli, euge tui serue fidelis heri,
Cui lucrum faciens, æquato fœnore sorti,
Pro quitis auri dena talenta refers.
Digna datur merces pietate, tuoq; labore
Iam tibi, nec meriti pars perit ulla tui.
Quantaq;, quotq; mihi, nec fas, nec dicere promptu,
Sit licet ex solido uox adamante mihi:
Tantaq; totq; capis felix ô gaudia, sacris
Vatibus atq; choro iunq;us Apostolico.
Hic ubi Rectoris diuina Academia C H R I S T I
In laudes studium collocat omne Dei.
Non illic hostes C H R I S T I, Stygiq; Sophistæ,
Non falsi mango dogmatis ullus agit.

Non

Non illic metues ullum mastiga Philippe,
Non linguæ impuræ iurgia, probra, minas.
Casta schola est superûm, castisq; habitata cateruis
Nil nisi sacra sonat, nil nisi uera docet.
Angelici tecum coetus, proceresq; polorum,
Atq; sacer ueterum differet ordo Patrum.
Tecum Adam, Abel, Noë, Lothus, & innumera auetus
Posteritate, sua iustus & ipse fide, (Abramus
Et satus, atq; nepos ipsius, & ordine longo
Doctores sancti, fatidiciq; senes,
Amramidesq; Heros, qui per maris inuia rubri
Isacidum Phario duxit ab orbe genus.
Et Samuelem illic, iuxtaq; tuebere Regem,
Qui Goliam fundæ uerbere strauit humi.
Nec non & uates Thesbites offeret illic
Se tibi, flammatis raptus in astra rotis:
Alter item, cuius ridebant tempora cana,
Atq; ursis pueri præda duobus erant.
Gaudebisq; tibi Daniela, piúm; Tobiam,
Et uatem Amosiden, Helciadenq; loqui.
Hinc alios aliosq; inter, te pectore leto
Accipiet Paulus cum seniore Petro.
Inprimisq; tuo reddere Philippe Luthero,
Colloquio alterius letus & alter erit.
Tunc uerò doctas audire & reddere uoces,
Perfectè & dabitur dogmata nosse Dei.
Non rudis ullus erit, non ulla scientia fallet:
Omnibus omnia erunt nota, docente Deo.
Tum coram spectare Deum, uobisq; licebit
Præsentis uiuo numinis ore frui.

Ipsa

*Ipsae suas artes, sua uos arcana docebit
Gymnasij doctor summus Olympiaci.
Nostra rudimentis hic sese infantia paruis
Exercet studio proficiente parum:
At caelo qui ludum aperis eterne magister,
Electi pendent cuius ab ore chori,
Et nunc Christe doce, precor, & ueniente sub auro
Nos quoq; siderea classibus adde schola.*

FINIS.

**IN TVMVLVM D.
PHILIPPI MELANTHONIS,
ADAMVS SIBERVS.**

Doctrinaeque decus sacrae Aonidumque, petisti
Tellure indignus docte Philippe polos,
Et **VERBO**, quod lingua, animo, calamoque ferebas,
Laetaris vultu iam propiore patris:
Qua **DEVS** innumera circum se dante corona,
Maximus in sancta praesidet ipse schola.
Felix morte tua, nos infelice Melanchthon,
Es quibus ereptus, conditione sumus:
Amplius audimus qui non sacra verba loquentem,
Vnus dum iuuenes instruis atque senes,
Ut fons transit iter medium qui vertice montis
Decurrens, multis diuidit vnus aquas.
Te non **BRETTA** modo Parnaside clarior **Ascra**,
Non qui Leucoreos diuidit **Albis** agros:
Sed quicumque pius, qui doctus cumque parentem
Luget, & indignis fletibus ora rigat.
In postrema inter quos parte **Siberus Adamus**
Haec tibi pro dulci gratus amicitia,

Aedon.

A E D O N.

P Udice turtur, & canore Psittace,
 Lugete vestri damna Aëdona nemoris,
 Quam pessimus laniauit eheu pessimus
 Accipiter ille, qui cruentis vnguibus
 Tam bella, quam non bella cuncta corripit,
 Secum per & cogit tenebras horridas
 Abire: nuper læta tesqua, filuula
 Beata, scatebræ, fontiumq; riuuli,
 Sonum cietis saxa per qui blandulum:
 Non flosculi vestri amplius, non ramuli,
 Non lymphulæ audiunt canentem Aëdona,
 Aëdona, vlla dulcius qua non auis
 Carmen sonat, sequente nec suauius
 Aeuo sonabit: qui capellarum greges
 Agis per alta montium cacumina,
 Qui buculas sectaris, aut conuallibus,
 Pastos ad vndas, quæ fluunt, bidentium
 Ducis greges, cum lymphulis, & ramulis,
 Et flosculis vestram dolent capellulæ
 Vicem, ouiculæq; , vacculæq; : lacrymas
 Dum fundere miseriter vident vos mœstulas:
 Heu funditis meritò, decus pulcherrimum
 Lugetis & siluæ, auium ocellumq; omnium.
 Lugete verò, lacrymasq; fundite:
 Lugete tesqua, filuulæq; , & lymphulæ,
 Et flosculi, capellulæq; , & buculæ:
 Lugete ouiculæ, & aurulæ conquestibus
 Lugentium assonent: Aëdona Aëdona
 Responset Echo, gemitibus ~~nescit~~ modus, *nec sit*
 Nec fletibus vestris miserrime omnium
 Pudice turtur, & canore Psittace.

F I N I S.

it



19 6407

ULB Halle

3

004 833 821




Sb.

f

M.C.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



PHILIPPI
MELANTHONIS
EPICEDION

SENATVI ANNEBERGENSI
DEDICATVM.

Authore
Christophoro Schellenbergio
Annebergensi.



In tumulum eiusdem, carmen
ADAMI SIBERI.

domino Georagio fabricio.

2.
obit 15.
20 Jan

